

» quibusve aliquid mandatur vel prohibetur per easdem, valeant
» de praemissis ignorantiam allegare et praetextu ignorantiae
» hujusmodi si non paruerint, velamen excusationis assumant: vo-
» lumus litteras ipsas in valvis basilicae principis apostolorum de
» urbe affigi, et per hujusmodi affixionem publicari: Decernentes
» quod earumdem litterarum publicatio sic facta perinde eosdem
» monitos et omnes, quos litterae ipsae contingunt, arctet ac si
» litterae ipsae die affixionis et publicationis hujusmodi eis perso-
» naliter lectae et insinuatae forent: cum non sit verisimilis con-
» jectura, quod ea quae tam patenter fiunt, debeant apud eos in-
» cognita remanere. Non obstantibus constitutionibus et ordina-
» tionibus apostolicis contrariis quibuscumque, seu si monitis
» praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede apo-
» stolica indultum existat, quod interdicti, suspendi vel excommu-
» nicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam
» et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi men-
» tionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam no-
» strae hortationis, requisitionis et monitionis, mandati, assigna-
» tionis, promulgationis, voluntatis, aggravationis, ligationis, de-
» creti, privationis, inhabilitationis, prolationis, concessionis,
» praecepti, inhibitionis, excommunicationis et anathematizationis
» infringere, etc. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, in-
» dignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apo-
» stolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud san-
» ctum Petrum anno Incarnationis Dominicae M. D. IX. quinto
» kalendas Maji, pontificatus nostri anno sexto. »